



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. ix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De eadem re. Cap. IX.

Siquis se peierauerit, & alios sciens in perivrium duxerit, XL. dies in pane & aqua, & VII. sequentes annos *Ex decr. Pelagii p. ca. 11* poeniteat, & nunquam sit sine poenitentia. Et alij si conscij fuerant, similiter poeniteant: sin autem, singuli vt perivrium non sponte commissum, poeniteant.

Quod sic Deus iuramenta perceperit, vt ille cui iurata fuerint. Cap. X.

Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic peierare non potuerit, qui iurare non appetit. Cauendum igitur est iuramentum, nec eo vtendum, nisi sola necessitate. Non est contra Dei praecipuum iurare, sed dum vsum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Nunquam ergo iurat, qui peierare timet. Multi dum loquuntur, iurare semper delectantur, dum oporteat hoc tantum esse in ore, est, est, non, non. Amplius enim quam est, & non est, a malo est. Multi vt fallant peierant, vt per fidem sacramenti, fidem faciant verborum: sicque fallendo dum peierant, & mentiuntur, hominem incautum decipiunt. Interdum & falsis lacrimis seducti decipimur, & creditur dum plorant, quibus credendum non erat. Plerumque sine iuramento loqui disponimus, sed incredulitate eorum qui non credunt quod dicimus, iurare compellimur, taliq; necessitate iurandi consuetudinem facimus. Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbis. Grauius autem delinquent, qui sibi loquentes iurare cogunt. Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus erit, qui & Dei nomen in vanum adsumit, & proximum dolo capit. Non est conseruandum sacramenti quod malum incaute promittitur, veluti si quis piam adultera perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. Iurare, est Dei illa prouidentia, quae statuit non euellere statuta. Poenitentia autem Dei, rerum mutatio est. Non poenitere autem, statuta non reuocare, vt est illud: Iurauit dominus & non poenitebit eum, id est, quae iurauit, non mutabit.

Ex dictis S. Isidor.